



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua  
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 1. Quinam supra dictu[m] Comitem malè imitentur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

rundam sententia confirmat, quod Lufius Contarinus scribit, etiam factum Imperij successorem: quod etsi alijs Henricum alium successorem nominantibus non conveniat, tamen aptè potest ad mores trahi: ut mox audiemus. In loco, vbi Comes delituit, Monachis templum struitur & domus, quæ Hirsaugia appellatur, notissimum hodièque, in Wirtenbergia, monasterium, cuius ut illustrior esset natalis origo, à tantorum Principum *casibus* fuit accipienda.

CAPVT VI.

*Historia Superioris ambages & CASVS, per corollaria, explicantur.*

§. I.

*Quinam supra dictum Comitem malè imitentur?*



Tinam Comes iste, siue Palatinus, siue quicunq; alius, haberet multos imitatores! Enimuerò habet multos, sed rebellando. Habet etiam multos, qui in gratiam Principum recipiuntur: sed paucos, qui sic recepti, curent etiam in Numinis gratiam recipi, atque, vel de spolijs & rapinis suis, ædes Deo Diuisq; sacras

exstruant. Atqui idcirco Deus illos percussit, ut icti saperent; idcirco deiecit, ut mente vnâ cum fortunis erecta, resurgerent fortiores, diuinumque, posthac, cultum promouerent; non ut templa expilarent, aut loca Deo dicata euerterent, quæ illorum maiores, per tot prodigia excitati, foundationibus liberalissimis condiderunt: ducti-  
*Psal. 11. 9.* tique, *per vias rectas*; cum isti, tanquam impij, *in circuitu ambulent*, dum ad opes rapiendas reuertuntur, quas illorum pro aui Deo donauerunt. Sed hæc missa faciamus, quia odiosum est, vlcera tangere.

## §. II.

*Omnes hominũ vires & conatus, contra Deum euntes, irritos fieri.*

Multa sunt alia, quæ, ex memorata historia Henrici, erui possunt documenta. Nam & quàm imbecilles atque irriti sint hominum conatus, si diuinæ obnitantur voluntati, & contra stimulum calcitent, perspicuè apparet. Frustrâ nitimini, qui cælo repugnatis; cum Sisypho saxum voluitis, qui consilia contra superiores fabricatis: etiam si gigantes sitis, sidera tamen non expugnabitis: inania meditamini, *ô reges terræ & principes, qui conuenitis in vnum aduersus Chri-*

*Psal. 2. 2.*